

perverſum ad recti normam revocatur, neque quod deest ſuppletur.

VER. 16. *Loquutus ego cum animo meo dicendo; ecce, ego amplificavi & adjeci ſapientiam ſupra omnes qui præſuerunt ante me Jeruſchalaimis, & animus meus percepit multum ſapientie & ſcientie.*

Quòd ſi quis excipiat, me ideò in his & aliis quæ ſequuntur, fœlicitatem non conſecutum eſſe, non rerum ipſarum quibus operam dedi, vitio; ſed propria ingenii tenuitate illa non comprehendente quæ res ipſæ abundè ſuppeditarunt:is velim intelligat, me abſq; jactantia (attestante mihi conſcientia mea) verè poſſe affirmare, me cùm amplitudine opum, tùm ſapientie copia illos omnes ante- viſſe, qui ſceptra Hieroſolymis tenebant; nedum vulgus hominum: ita ut animo amplam ſapientiam & ſcientiam complexus fuerim.

VER. 17. *Adjeci quoque animum meum ad cognoscendum ſapientiam, & ſcientiam omnis inſania & ſtoliditatis; cognovi etiam hoc eſſe afflictionem ſpiritus.*

In Naturæ verò ſpeculatione & venatione fœlicitatem non aſſequens, qua verum à falſo dignoſcitur, animum ad illam ſapientiam & ſcientiam adjeci, qua bonum à malo, juſtum ab injuſto diſcernitur. Quo in negotio ut majores profectus facerem, quæ ſci-